

ad fundamentum spectat, sunt binae aliae, quarum altera ad effectum, altera ad formam pertinet. Vtramque priori iungamus. Primum igitur, quum naturale & ciuile saepe ab effectu quid dicamus, vt ciuile sit, quod effectu ciuili gaudet, naturale vero, quod hoc effectu destituitur, c) ita quoque haec verborum vis ad distinctionem modi acquirendi in naturalem & ciuilem applicari potest. Nam de iure naturae, dominium rei solo pacto, sola contrahentium voluntate & mutuo consensu transferri & acquiri, non repugnare videtur, ius autem ciuile, vt certiora sint rerum dominia, in hoc mutuo consensu subsistere noluit, sed factum traditionis eidem iungi statuit, vt dominium acquiratur. Sed & a forma, quam leges & ius ciuile multis rebus & negotiis induunt, saepenumero ciuilis appellatio proficiscitur. Ex qua oritur altera ratio, diuidendi modos acquirendi in naturales & ciuiles. Ita enim mancipatio, a sollemni ritu, quo perficitur, interueniente aere & libra, modus acquirendi ciuilis est, d) traditio ve-

B

ro,

c) Ita obligatio in iure nostro naturalis dicitur, cui ius ciuile robur suum non addidit, veluti obligatio pupilli, cui sine auctoritate tutoris pecunia credita est, in *L. 64. pr. D. ad Scutum Trebell.* Add. *L. 40. pr. D. eod.* ciuilis vero, quae & iure ciuili sustinetur, quo sensu obligatio ciuilis & naturalis iunguntur in *L. 8. §. 3. D. de fideiussor.*

d) Ideo mancipationis ius dicitur proprium esse romanorum ciuium a *CAIO Lib. I. Instit. Tit. 6. §. 3.* in *SCHVLT. Iurispr. anteiust. p. m. 53.* quod tamen ita accipiendum, secundum *VLPIANVM Tit. XIX. Fragm. §. 4.* vt mancipatio locum habeat inter ciues romanos & latinos coloniarios, latinosque Iunianos eosque peregrinos, quibus commercium datum est.